



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ad Alexandrum VII. P. M. ineunte nono Pontificatûs anno.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

De Pomis ex cera affabrè fictis.

Naturæ invidiam, desideriumque palato
 Ista movent doctâ poma creata manu.
 Tam bene fraga rubent cum versicoloribus uvis,
 Tam bene cum pepone ficus hiante viret.
 Perfica jurares modò lecta ex arbore mala,
 Prunaque cum hirsutis cerea castaneis.
 Quid memores uvam volucres quæ picta fefellit?
 Auctorem hæc possunt fallere poma suum.

A D

ALEXANDRUM VII. P. M.

ineunte nono Pontificatus anno.

Vota libens facio, non carmina, Maxime Princeps;
 Hæc licet obsequium poscat utrumque dies.
 Nam facilè est pro te facientem vota probari:
 De te scribentem carmina difficile est.
 Nostra tamen quòd Musa tuis sit honoribus impar,
 Id mihi non culpæ, sed Tibi laudis erit.

K 3

A D